Universitätsbibliothek Paderborn

Generalis Totivs Sacri Ordinis Clericorvm Canonicorvm Historia Tripartita

Pennotto, Gabriele

Coloniae, Anno M.DC.XXXXV.

LIII. De S. R. E. Cardinalibus, Bibliothecarijs, Cancellarijs, & Vicecancellarijs ex Ordine Canonicorum Regularium, præsertim ex Lateranensi Congregatione aßumptis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38634

Visual Library

CAPVT QVINQVAGESIMVM TERTIVM.

De Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, Bibliothecarijs, Cancellarijs, & Vicecancellarijs ex ordine canonicorum regularium, præſertim ex Lateranenſi Congregatione aſſumptis.

I. TEſtis eſt Volaterranus lib. 21 ſuperius etiam allegato, Cardinales S.R.E. numero trecẽtos ex ordine canonicorum regularium aſſumptos. quod ne mirum alicui, vel minus credibile forſan videatur, recogitare ante omnia debebit, in Sacroſancta Lateranenſi Baſilica, quæ omnium Eccleſiarum princeps, & mater eſt, canonicorum regularium inſtitutum per annos octingentos, & amplius ſletiſſe, ac ex illa Pontifices Romanos quinque ſupra viginti acceptos, vt capite proximè præcedenti monſtrauimus. illud etiam recolere oportebit, quod li. 2 dictum fuit, duos Cardinalares S. Crucis in Ieruſalem & S. Mariæ nouæ titulos Decretis Pontificum ſæptus innouatis, non niſi canonicis regularibus per multos annos conferri ſolitos; atque tandem ipſius Ordinis canonici amplitudinem, qui maiorem partem Eccleſiarum Patriarchalium, Metropolitanarum, & Cathedralium olim tenebat. vt alia dicti ordinis collegia innumera miſſa faciamus. Licet verò propoſiti noſtri nõn ſit, omnium Cardinalium, qui ex noſtro ordine ſunt aſſumpti, catalogum exactũ, & integrum hic loci deſcribere, quod nec ante nos aliquem feciſſe legimus, ſed nec fieri poſſe ſine diuina reuelatione arbitramur, cum nec illi, qui Geſta Romanorum Pontificum data opera ſcribenda ſuſceperunt, ante Leonem IX. ſeriem creationis eorundem Cardinalium, niſi valde diminutã notauerint. vt nihilominus noſtrũ qualecunque ſtudium etiam in hac parte nullatenus deſideretur, conabimur de multis ſaltem aliquos referre, ex probatis autoribus, vetuſtisq; familiarum monimentis collectos, præſertim ex Onuphrio, Ciaconio, & ex calendario antiquo canonicæ Rhenanæ apud Bononiam, cuius meminerunt Ioannes Baptiſta Signius, & Ioſephus Mozzagrugnus in ſuis libris de canonicis regularibus editis, licèt cum abuſu, & admixtione multorum errorum.

Sciendum enim eſt inter antiquas conſtitutiones canonicæ, & congregationis Portuenſis ſtatutum fuiſſe, vt in ſingulis Eccleſijs illorum Ordinis, & profeſſionis, licèt diuerſarum congregationum, calendaria conficerentur, & in illis nomina omnium canonicorum dicti ordinis, & profeſſionis, cum illorum obitus renunciatus eſſet, continuo notarentur, fierentq; pro illarum animabus ſuffragia, & anniuerſaria, vt lib. 2. in congregatione Portuenſi notauimus. quas conſtitutiones quoniam Innocentius II. mandauit in canonica Rhenana paulo ante fundata ſeruari, ideo in dicta canonica huiuſmodi calendariũ confectum fuit, ſicut etiam in alijs D. Ioannis in monte, & S. Victoris eiuſdem Ciuitatis monaſterijs ſeruabatur. quod calendarium in monaſterio S. Saluatoris nunc etiam fertur adſeruari, ex quo præfati autores deducunt, omnes canonicos in eodẽ calendario notatos, in monaſterio Rhenano profeſſos fuiſſe, quod licet minimè verum ſit, illud tamen veriſſimum, omnes canonicos regulares, & eiuſdem ordinis cum antiquis illis canonicis in monaſterio Rhenano tunc degentibus, etſi diuerſarum familiarum, extitiſſe. quod ſi ſolùm prædicti autóres velint, vt velle videntur, præſertim Ioannes Baptiſta Signius lib. 2. cap. 8. in principio, cũ inquit; *Sexdecim Canonicos de Rheno ipſo ad Cardinalatus honorem aſſumptos, nec ſanè mirum, cum ipſa Lateranenſis Eccleſia, & omnes Eccleſiæ titulares Cardinalium regerentur per eos tunc Canonicos.* & c. 9. cum ait: *Ordinis eiuſdem canonicorũ de Rheno erant quoque tunc monaſteria S. Ioannis in monte in Ciuitate, & S. Victoris extra Bononiam, quorum omnium obitus in eodem Calendario antiquo Rhenano pariter commendantur.* illi inquam veriſſimè dicunt, de identidate ordinis, & profeſſionis loquentes, non autem congregationum, ſeu familiarum.

II. CArdinales igitur S. R. E. quos ex prædictis autoribus, & antiquis monumentis ex ordine canonicorum regularium acceptos inueni, hi ſunt, videlicet:

D. Fridericus Gozzelonis Ducis Lotharingię filius, Eccleſiæ Leodienſis tunc Regularis Archidiaconus, à Leone IX. S. R. E. Cardinalis diaconus, S. Mariæ in Dominica, necnon Bibliothecarius, & Cancellarius creatus, & ab eodem Leone Legatus ad Imperatorem Conſtantinopolitanũ deſtinatus, poſtea monachus Caſſinenſis, ad Hẽrici II. Imperatoris inuidiam declinandam, effectus, & eo defuncto Cardinalis à Victore II. reſtitutus. Onuphrius, Molanus, Ciaconius, & Baronius. vide cap præcedenti in Stephano X.

D. Petrus Archipreſbyter canonicæ Lateranenſis, qui inter Cardinales recenſetur in operibus B. Petri Damiani lib. 2. epiſt. 10. in ordine; nã illius libri epiſtolæ omnes ad Cardinales ſcrũtur ſcriptæ. Eſt autem titulus epiſtolæ. *Domino Petro Lateranẽſis Canonicæ Archypresbytero, Petrus peccator*

monachus fraterna glutinum charitatis. & in epiſtola circa finem de conuentu Lateranẽſi verba faciens: *Porro autem quia Sancti conuentus Rector conſtitutus es, noli diſsimulare culpam &c.* Sic enim habetur in epiſtola, quam refert Baronius tomo ij. ſub anno 1065. num. 6. licèt ad conuentum canonicorum in Lateranenſi Baſilica tunc temporis exiſtentem forſan occultandum, in noua editione Romana operum B. Petri Damiani iſta verba fuerint omiſſa. Neſcio autem, an iſte Domnus Petrus idem fuerit cum Petro Bibliothecario, quem Onuphrius in Leone IX. & Alexandro II. dicit, fuiſſe Bibliothecarium, & Cancellarium, & diaconum Cardinalem: nam ille dicitur fuiſſe Præpoſitus ſancti Georgij in Laterano, & Cardinalis diaconus: hic verò Archipresbyter: ſed vtrunque eſſe potuit, vel ſimul, vel ſaltem ſucceſſiuè.

D. Otho de Caſtellione, Rhemenſis diœceſis, Gallus, ex canonico regulari Lateranenſi monachus Cluniacenſis, Cardinalis Epiſcopus Oſtienſis. Onuphrius de Romanis Pontificibus in Gregorio VII. & Vrbano II. vide alios citatos cap. præcedenti in Vrbano II.

D Raynerius, Creſcentij filius, Bleranus, ex canonico regulari Lateranenſi monachus Cluniacenſis, & Abbas ſancti Laurentij extra muros, Cardinalis presbyter tituli ſancti Clementis creatus ab Vrbano Secundo. Onuphrius eodem libro in Vrbano Secundo, & Paſchali Secundo, & alij citati ſuperius in Paſchali Secundo.

D. Gregorius de Papa, ſiue de Papareſijs, nunc de Matthæis, Romanus, ex canonico regulari Lateranẽſi Cardinalis diaconus creatus ab Vrbano Secundo. Onuphrius in eodem lib. in Vrbano Secundo, & alij citati cap. præcedenti in Innocentio Secundo.

D. Lambertus de Fagnano aliàs de Scannabecchis ciuis Bononienſis ex canonico regulari Lateranenſi, & Archidiacono Bononienſi Cardinalis Epiſcopus Oſtienſis creatus à Paſchali II. Onuphrius eodem libro in Paſchali Secundo, & in Honorio Secundo, & alij cap. præcedenti citati in eodem Honorio Secundo.

Domnus Cuno Germanus à Trunciberenger, prius Eremita, poſtea canonicus regularis, & vnus de fundatoribus congregationis de Aroaſia in Gallobelgica, Cardinalis Epiſcopus Præneſtinus à Paſchali Secundo creatus. Onuphrius in eodem libro de Romanis Pontificibus in Paſchali Secundo, Sigibertus Gemblacenſis, ſiue illius Continuator in chronico ſub anno 1114. Baronius tomo 12. ſub anno 1112. & 1114. & 1116. & 1118. qui licet dicant, illum fuiſſe Eremitam, fatentur tamen fuiſſe vnum ex primis fundatoribus congregationis Aroaſienſis, quam extra omnem dubitationem eſt canonicorum regularium, non Eremitarum fuiſſe, prout etiam multa illius monaſteria, quæ nunc ſuperſunt clariſſimè demonſtrant. multa huius viri pro Eccleſia Catholica contra Tyrannos tum in Oriente, tum in Occidente pluribus legationibus præclarè geſta commemorat in locis proximè citatis Cardinalis Baronius.

D. Aymericus Burgundus, Illuſtri genere ortus, ex canonico regulari diaconus Cardinalis S. Mariæ nouæ creatus à Caliſto Secundo. Onuphrius de Romanis Pontificibus in Caliſto Secundo, & lib. 3. de Eccleſia Lateranenſi cap. 15. Hic ſui tituli canonicam renouauit, & vt Cardinalis titularis non niſi de gremio congregationis S. Frigdiani ſumeretur, à Caliſto Secũdo impetrauit, cuius priuilegium alij Romani Pontifices firmauerunt, de quo dictum eſt lib. 2. cap. 16.

D. Gerardus de Caccianemicis Bononienſis ex canonico regulari S Crucis, & congregationis S. Frigdiani Cardinalis presbyter S. Crucis in Ieruſalem ab Honorio II. creatus. Onuphrius in eodem lib. de Romanis Pontificibus, & alij citati cap. præcedenti in Lucio II.

DOmnus Conradus de Suburra Romanus, ex III.
canonico regulari, & Abbate S Ruſi apud Valentiam Cardinalis Epiſcopus Sabinus creatus ab eodẽ Honorio II. Onuphrius in Honorio II. & alij cap. præcedẽti allegati in Anaſtaſio VI.

D. Anſelmus ex canonico regulari monaſterij S. Petri in Cœlo aureo Papiæ Cardinalis presbyter tituli ſancti Laurentij in Lucina creatus ab eodem Honorio Secundo. Onuphrius eodem lib. de Romanis Pontificibus in Honorio II. Ciaconius in eodem Honorio II. eiuſdem meminit Baronius tomo 12. ſub anno 1130. cum alijs tribus Cardinalibus canonicis regularibus, ſcilicet Conrado Epiſcopo Sabinenſi, Gerardo presbytero S. Crucis, & Aymerico diacono S. Mariæ nouæ, pro vero Pontifice Innocentio Secundo, contra pſeudopapam Anacletum ſtrenuè decertantibus, licet canonicam illorum profeſſionem de more omiſerit.

D. Theodeuuinus Germanus, ex canonico regulari Cardinalis Epiſcopus Portuenſis creatus ab Innocentio Secundo. Onuphrius in eodem lib. de Romanis Pontificibus, vbi tamen canonicæ illius profeſſionis non meminit, ſed illa habetur in calendario Rhenano, referente Ioanne Baptiſta Signio lib. 2. cap. 8.

D. Thomas Mediolanenſis ex canonico regulari S. Mariæ de Creſcentiaco prope Mediolanũ Cardinalis presbyter tituli ſanctorum Vitalis, & Veſtinæ creatus ab Innocentio Secundo Onuphrius, & Ciaconius in Innocentio Secundo, & monimenta congregationis S. Mariæ de Creſcentiaco.

D. Ioannes, ex canonico regulari cõgregationis S. Frigdiani Cardinalis diaconus S. Mariæ nouæ creatus à Cœleſtino Secundo. Onuphrius in eodem lib. in Cœleſtino Secundo.

D. Vbaldus Bononienſis, ex canonico regulari S. Crucis in Ieruſalem, cõgregationis S Frig-

diani

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

diani Cardinalis presbyter eiuſdem tituli creatus à Lucio Secundo. Onuphrius eodem lib. in Lucio Secundo. calendarium Rhenanum.

Magiſter D. Guido Bononienſis, ex canonico regulari S. Mariæ de Rheno Bononiæ, Cardinalis presbyter tituli S. Potentianæ, ſiue Pudentianę creatus à Lucio Secundo. calendarium Rhenanum. Onuphrius in eodem lib. in Lucio Secundo. vbi tamen non dicit, illum fuiſſe canonicum regularem. Huius precibus Adrianus IV. anno 1155. 16. calend. Aprilis Eccleſiam Cardinalarem S. Potentianæ de Vrbe canonicis Rhenenſibus conceſſit, vt ordo canonicus Deo autore per illos ſecundum obſeruantiam illorum Regulæ in eadem Eccleſia conſtitueretur, & perpetuis temporibus inuiolabiliter obſeruaretur.

S. Guarinus de Fuſchararijs Bononienſis, ex clerico Eccleſiæ Bononienſis, & canonico regulari Mortarienſi primùm, deinde congregationis S. Frigdiani, Cardinalis Epiſcopus Præneſtinus ab eodem Lucio II. creatus. Onuphrius, & Ciaconius in Lucio Secundo, de hoc diximus ſupra c. 50. qui locus videndus erit.

D. Rolandus Paparo, aliàs de Bendinellis, Raynucij filius Senenſis, ex clerico Piſano canonicus regularis Lateranenſis, primum ſubdiaconus Apoſtolicus, mox diaconus Cardinalis SS. Coſmæ, & Damiani S. R. E. Bibliothecarius, & Cancellarius creatus ab Eugenio Tertio. Onuphrius, & Ciaconius in Eugenio Tertio, & Alexandro Tertio. vide cap. præced. in Alexandro Tertio.

D. Nicolaus Malmesburienſis, ex oppido S. Albani Bathonienſis diœceſis in Anglia, quem Ioannes Pitſius in lib. de Scriptoribus Anglicanis Nicolaum Haſtifragum vocat, & in vico Langley nuncupato genitum dicit, primùm clericus ſancti Iacobi de Maglorio Magalonenſis diœceſis, poſtea canonicus regularis, & Abbas S. Rufi, Cardinalis Epiſcopus Albanus creatus ab Eugenio Tertio. Onuphrius, & Ciaconius in Eugenio Tertio. vide notata cap. præced. in Adriano Quarto.

IV. DOminus Ildebrandus Craſſus Bononienſis, ex canonico regulari S. Mariæ de Rheno Cardinalis diaconus tituli S. Euſtachij creatus ab eodem Eugenio Tertio. Onuphrius in Eugenio Tertio, ſed dicit illum fuiſſe Rectorem Eccleſiæ S. Geminiani Mutinæ. Verùm illum fuiſſe canonicum Rhenanum ſcribit Io. Bapt. Signius loco allegato, ex calendario antiquo Rhenano.

D. Hugo de Folietto, ex canonico regulari S. Petri Corbienſis, vt Onuphrius, & Ciaconius, vel S. Petri Cordubenſis, vt S. Antoninus, vel S. Petri Corbitienſis, vt Ioannes de Nigraualle, Cardinalis creatus ab Eugenio III. Onuphrius in Eugenio Tertio, Ciaconius in Innocentio Secundo, dicens illum creatum Cardinalem ab eodem Innocentio Secundo. Cæterum Onuphrius in Innocentio II. nullum Cardinalem nomine Hugonem ab hoc Pontifice creatum numerat, niſi quendam Iuonem Gallum presbyterũ Cardinalem tituli . . . & fortè vnum ex duobus conflauerunt: & potuerunt eſſe duo Cardinales eiuſdem ordinis, alter Iuo, alter Hugo nuncupati, alter ab Innocentio, alter ab Eugenio creati vt vt fuerit, Hugonem de Folietto canonicũ regularem, inſignemque Doctorem extitiſſe, præter Onuphrium, & Ciaconium, teſtantur Ioannes de Nigraualle, & D. Antoninus in 3. par. Hiſtoriali tit. 18. cap. 2. in princ. ex Vincentio in Speculo Hiſtoriali lib. 28. c. 18. quod ſi verum eſt, illum non monaſterij Corbeiæ, ſed alterius vel Cordubenſis, vel Corbitienſis profeſſum fuiſſe, neceſſarium erit, cum conſtet, Corbeiam vtramque, in Gallijs ſcilicet, ac in Germania non ordinis fuiſſe canonicorum, ſed monachorum.

D. Boſo Anglus ex canonico regulari, & Papæ ſcriptore Cardinalis diaconus ſanctorum Coſmæ, & Damiani, & Camerarius creatus ab Adriano Quarto. calendarium Rhenanum, & Onuphrius in Adriano Quarto, vbi canonicæ illius profeſſionis non meminit.

D. Ioannes Pizutus, alias Phizutus Neapolitanus, canonicus regularis S. Victoris Pariſienſis, Cardinalis diaconus ſanctæ Mariæ in Porticu creatus ab Adriano Quarto. Onuphrius, & Ciaconius in Adriano Quarto. Hic ille eſt Cardinalis Ioannes, qui vetuſtam, & inſignem canonici Ordinis Abbatiam S. Petri ad Aram Neapolis penè collapſam reſtituit, & canonicorum conuentum ibidem repoſuit, accito in illius Priorem, ac deinde Abbatem Domino Nicolao S. Victoris Pariſienſis canonico, de quo ſupra dictum fuit.

Dominus Bernardus canonicus regularis, & Prior monaſterij Lateranenſis, cuius meminit Onuphrius lib. 2. de Eccleſia Lateranenſi cap. primo, ſic: *Innocentium quoque Secundum donaſſe inueni Baſilicæ Lateranenſi centum Lucenſis monetæ libras, quibus agri emerentur, ad Canonicorum in ea reſidentium ſuſtentationem: ex quibus Bernardus tunc Prior Lateranenſis, poſtea Epiſcopus Cardinalis Portuenſis aliquot poſſeſſiones emit non longè ab Vrbe, prope Eccleſiam ſanctæ Helenæ.* & cap. 3. *Multi præterea magni nominis Cardinales ex eo monaſterio prodierunt, ex quibus præcipuus fuit Bernardus, qui multis annis Prior monaſterij Lateranenſis fuerat ſub Innocentio Papa Secundo, & ab Eugenio Tertio ex Lateranenſe Priore presbyter Cardinalis primum tituli ſancti Clementis, deinceps Epiſcopus Cardinalis Portuenſis, & ſanctæ Rufinæ, & Secundæ ab Adriano Quarto factus eſt.* Conſentit Ciaconius in Adriano Quarto. ipſe tamen Onuphrius in lib. de Romanis Pontificibus in Eugenio Tertio, & Adriano Quarto nõ dicit, illum fuiſſe canonicum regularem, & Priorem monaſterij Lateranenſis: quia hoc ad notitiam illius necdum venerat, ſicut nec aliorũ nonnullorum, quorum promotiones ad Cardinalatũ

tacita illorum profeſſione canonica in eodem libro recenſet.

D. Hieronymus Lucenſis ex canonico regulari S. Frigdiani Cardinalis diaconus ſanctæ Mariæ nouæ creatus ab Alexãdro Tertio. Onuphrius, & Ciaconius in Alexandro Tertio.

D. Arduinus ex canonico regulari congregationis S. Frigdiani Cardinalis presbyter S. Crucis in Ieruſalem ab Alexandro Tertio creatus. Onuphrius, & Ciaconius in Alexandro Tertio.

D. Matthæus Lucenſis canonicus regularis S. Frigdiani Cardinalis diaconus S. Mariæ nouæ ab Alexandro Tertio creatus. Onuphrius, & Ciaconius in Alexandro Tertio.

D. Petrus Bonus Veronenſis ex canonico regulari Cardinalis presbyter tituli S. Suſannæ creatus ab Alexandro Tertio. calendarium Rhenanum. Onuphrius in Alexandro Tertio.

Magiſter D. Albinus Mediolanenſis canonicus regularis S. Mariæ de Creſcentiaco Cardinalis diaconus à Lucio Tertio creatus. Onuphrius, & Ciaconius in Lucio Tertio.

V. DOmnus Bernardus canonicus regularis monaſterij S. Frigdiani, Cardinalis diaconus S. Mariæ nouæ, creatus à Clemente Tertio. Ciaconius, & Onuphrius in eodem Lucio Tertio.

D. Lotharius de Comitibus Signiæ, Anagninus, ex canonico regulari monaſterij Lateranenſis, in quo à teneris annis canonicam vitam fuerat profeſſus, Cardinalis diaconus SS. Sergij, & Bacchi à Cœleſtino Tertio creatus. Onuphrius, & Ciaconius in Cœleſtino Tertio, & Innocentio Tertio. vide notata cap. præced. in Innocentio Tertio.

D. Cencius Sabellus Romanus, ex canonico regulari Lateranenſi Cardinalis diaconus S. Luciæ in Silicæ, & Camerarius à Cœleſtino Tertio creatus. ijdem Onuphrius, & Ciaconius in Cœleſtino Tertio, & Honorio Tertio. vide notata cap. præcedenti in Honorio Tertio.

D. Leo de Brancaleonibus Romanus canonicus regularis congregationis S. Frigdiani, Cardinalis diaconus S. Luciæ in Septiſolio creatus ab Innocentio Tertio. Onuphrius, & Ciaconius in Innocentio Tertio.

D. Gregorius Creſcentius Romanus, ex canonico regulari Cardinalis diaconus S. Theodori creatus ab eodem Innocentio Tertio. calendarium Rhenanum, in quo illius obitus ſub anno 1208. eſt notatus. Onuphrius ſcribit illum creatum Cardinalem ab ipſo Innocentio Tertio.

D. Iacobus Gualla de Bicherijs Vercellenſis, ex canonico regulari monaſterij S. Petri in Cœlo aureo Papiæ Cardinalis diaconus ſanctæ Mariæ in Porticu creatus ab eodem Innocentio Tertio. Onuprhius, & Ciaconius in Innocentio Tertio. Hic Abbatiam nobilem S. Andreæ Vercellarum ſuis ſumptibus fundauit, & locupletiſſimè ditauit, vt lib. 2. diximus.

Magiſter D. Iacobus de Vitriaco ex oppido Argentolio diœceſis Pariſienſis, canonicus regularis S. Nicolai de Oëgnies, primo Epiſcopus Aconenſis in Palæſtina, poſtea Cardinalis Epiſcopus Tuſculanus creatus à Gregorio Nono. Onuphrius, & Ciaconius in Gregorio Nono. habetur ex illius vita, quæ præmittitur eius libro intitulato Hiſtoria Orientalis, & Occidentalis.

Frater Anglicus, ſiue Angelicus Grimaldi de Briſaco Mimatenſis diœceſis, ex canonico regulari congregationis ſancti Rufi, Cardinalis presbyter ſancti Petri ad Vincula creatus ab Vrbano V. cuius erat nepos, & ſecundũ nonnullos frater. Onuphrius, & Ciaconius in Vrbano V. chronica congregationis ſancti Rufi. Hic collegium in monte Peſſulano pro ſtudentibus dictæ congregationis fundauit, & dotauit.

D. Ioanes canonicus regularis ſanctæ Crucis Colimbricenſis, Epiſcopus Sabinenſis S. R. E. Cardinalis, & Legatus Apoſtolicus in Regno Luſitaniæ, qui Eccleſiam S. Crucis Colimbriæ conſecrauit. ex tabula cõſecrationis dictæ Eccleſiæ, & relationibus authenticis ad me tranſmiſſis, in quibus tamen quo tempore ille vixerit notatum non inuenio.

Domnus N. Hiſpanus, ex canonico regulari monaſterij montis Anagonum presbyter Cardinalis creatus à Benedicto Decimotertio Papa ſchiſmatico, eo relicto anno 1419. Martino V. legitimo Pontifice creato, in numerum Cardinalium ab eo conſcriptus. Onuphrius in Benedicto Decimotertio, alias Vndecimo, & Martino Quinto.

D. Ludouicus Alamannus Gallus, canonicus regularis, & iuris vtriuſque Doctor celebris, ex Epiſcopo Maclouienſi, poſtea Archiepiſcopo Arelatenſi, Vicecamerario, & Prolegato Bononienſi Cardinalis presbyter S. Cæciliæ, & Bononiæ Legatus, à Martino V. creatus. Onuphrius, & Ciaconius in Mart. V.

D. Nicolaus de Cuſa, ex canonico regulari, & Præpoſito monaſterij Vartobergenſis, cuius ille meminit in epiſtola liminari libri de Filiatione Dei, Archidiaconus Leodienſis, Cardinalis presbyter ſancti Petri ad Vincula creatus à Nicolao V. Onuphrius, & Ciaconius in Nicolao V.

Domnus Iuo canonicus regularis ſancti Victoris Pariſienſis Cardinalis, referente Volaterrano lib. 21. vbi tamen non dicit, quando, vel à quo ille fuerit Cardinalis creatus, & fortè hic ille eſt cuius Onuphrius meminit in Innocentio Secundo, vocans illum Magiſtrum Iuonem Gallũ.

Refert etiam Ciaconius inter Cardinales ab Innocentio II. creatos Magiſtrum Hugonem de ſancto Victore, cuius nomen apud Theologos in precio habetur: ſed Onuphrius nullum talis nominis ab eodem Innocentio Cardinalem creatum numerat, & potuit hoc accidiſſe, quod antequam ille inſignia Cardinalatus acciperet,

ex hac

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ex hac vita migraret: nam ponitur creatus anno Domini 1138. poſt quem annum non multo interuallo naturæ debitum ſoluit.

Demum his omnibus addit Ioann. Bapt. Signius lib. 2. de canonicis cap. 9. D. Hugonem Priorem ſanctæ Praxedis, qui obijt 1256. & D. Bernardum Priorem ſanctæ Potentianæ, qui obijt anno 1276. & D. Raynerium de Vrbe Veteri, cuius obitus commendatur ſub ann. 1217. Verùm in Catalogo Cardinalium ab Onuphrio deſcripto iſtorum nomina non inueniuntur, neque creationi Alexandri IV. qui vixit anno 1256. neque creationi Innocentij Quinti, qui fuit anno 1276. aliquis Cardinalis iſtorum titulorum interfuit, neque in viuis agebat. De Raynerio de Caſtro Veteri, quem ille vocat de Vrbe veteri, certum eſt non fuiſſe Cardinalem, neque obijſſe anno 1217. vt ſtatim dicemus. vnde puto, hunc autorem multa diuinando ſcripſiſſe, & ſuo illo Calendario Rhenano multipliciter abuſum fuiſſe.

VI. PRæter Cardinales fuerunt etiam multi ex canonicis regularibus, & præſertim congregationis Lateranenſis, S. R. E. Bibliothecarij, & Cancellarij, ſeu Viecancellarij. Ex Bibliothecarijs fuerunt, referente Onuphrio lib. 3. de Eccleſia Lateranenſi c. 15. vbi illorum integrum Catalogum collegit.

Sanctus Proſper Aquitanus Epiſcopus Regienſis, Rhetor, & Poëta celebris ſub Leone Primo anno Dom. 450. ex Marcellino in Chronico.

Fridericus Lotharingus Ducis Lotharingiæ filius, & Archidiaconus Leodienſis, creatus anno 1051. ſub Leone Nono, & Victore Secundo, qui fuit Stephanus X.

Dominus Gerardus de Caccianemicis ſub Innocentio II. & Cœleſtino II. qui poſtea fuit Lucius II.

Porrò ex Cancellarijs, & Viecancellarijs S. R. Eccleſiæ fuerunt in primis ijdem Proſper Aquitanus, & D. Fridericus Lotharingus.

Tertius Dominus Aymericus Burgundus, Diaconus Cardinalis S. R. Eccleſiæ S. Mariæ Nouæ, ſub Caliſto II. Honorio II. & Innocentio II. ab anno 1123. vſque ad annum 1141.

Quartus D. Boſo Anglicus Scriptor Apoſtolicus pro Cancellario anno 1153.

Quintus D. Rolandus Paparo, ſiue Bendinellus Senēſis ſub Eugenio Tertio, Anaſtaſio Quarto, & Adriano Quarto (hic fuit Alexander Tertius) ab anno 1153. vſque annum 1159.

Sextus Dominus Moyſes canonicus Regularis Lateranenſis, & S. R. Eccleſiæ Subdiaconus, qui quòd Cardinalis non eſſet, nō Cancellarius, vt Cardinales conſueuerant, ſe appellare voluit, ſed Cancellarij vicem agens dictus eſt, cum nihilominus Cancellarij munere fungeretur, prouētuſque, & Regalia omnia Cancellarijs dari ſolita à Pontificibus, haberet. fuit hic primus, qui poſt longa tempora cum nō eſſent Cardinales, Cancellarij Sanctæ Romanæ Eccleſiæ functus eſt munere: antea enim non niſi Cardinalibus officium illud demandari ſolitum erat. hinc Viecācellarij origo emanauit. vixit ſub Gregorio Octauo, & Clemente Tertio ab anno 1186. vſque ad annum 1194.

Septimus D. Raynerius de Caſtro Veteri, oppido diœceſis Tudertinæ, quod nunc eſt dirutū, canonicus regularis, & Prior S. Frigdiani Lucæ ſub Honorio III. hic primus, teſte Onuphrio, pro Cancellarij vicem agente commodiore vocabulo vſus eſt nomine Viecancellarij. Tenuit officium quatuor annis, anno verò 1220. Patriarcha Antiochenus fuit conſecratus, quo anno quoddam altare in Eccleſia S. Frigdiani conſecrauit. ex illius Eccleſiæ tabulis.

Octauus D. Papinianus Taurinenſis, ex canonico regulari S. Andreæ Vercellarum Epiſcopus Parmenſis, Viecancellarius creatus à Bonifacio VIII. ſub eodem Bonifacio, & Benedicto XII. & Clemente V. Onuphrius in lib. de Romanis Pōtificibus.

CAPVT QVINQVAGESIMVM QVARTVM.

De Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis ex Monaſterijs Congregationis Lateranenſis acceptis.

QVoniam laborioſa nimis foret Prouincia, ſingulorū Patriarcharum, Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum ex ordine canonicorum regularium profectorum integrum Catalogum deſcribere, illos ſolummodo recendos ſumemus, quos ex noſtræ Lateranenſis congregationis collegijs acceptos, authenticis documentis probari poteſt, de quibus in progreſſu iſtius tertij libri mentio peculiaris eſt habita, inter quos ſequentes meritò cenſeri poſſunt, videlicet: I.

S. Aldobrandus ex canonico monaſterij Portuenſis, primùm Ariminenſis Eccleſiæ Præpoſitus, poſtea Foroſempronienſis Epiſcopus, circa annum Domini 1119. creatus. ex Hieronymo Rubeo in Hiſtoria Rauennat.

D. Albertus ex canonico S. Crucis Mortarienſis, primum Epiſcopus Vercellenſis, deinde Patriarcha Ieroſolymitanus. ex Onuphrio in Chronico ſub anno 1204. & ex Chronico monaſterij Mortarienſis.

D. Airaldus, patria Nouarienſis, ex Præpoſito